



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

X. Quia omnia à Deo impetrare potest.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

dit legi potest *rehevit*, ut sit sensus: Dominus redemit me initio viarum suarum. Ita Exod. 15. Populus iste quem possedisti. *Chaldeus*. Quem redemisti: Deur. 32. *Scilicet* ipse est pater tuus qui possedit te. *Oleaster legit*. Qui emit te redimendo. *Vatavlas*. Qui te in libertatem asseruit. *Idem sentit Amadeus Lausanens. bom. 9. de laudibus Virginis*. Eva infecta est veneno lethali, quod transfudit ad posteros: Maria infusa est vniuerso antidoto, quod fidelis transfudit ad vniuersos.

10. Quia omnia à DEO impetrare potest.

Quomodo enim illa Divina potestas tuæ potentie poterit obviare, quæ de carne tua carnis suscepit originem? accedis enim non solum rogans, sed imperans. Domina, non ancilla. Ait *Petrus Damiani. serm. 1. de Nativ. Virg.* Non potest obviare, non potest. Data, inquit *Bernard. serm. 1. in Salve Regina*, est ei omnis potestas in caelo & in terra, & in manibus ejus vita. Unde in *Ecclesia Græca in Men. 18. Janu.* O quæ Matre dignam quilibet à Filio postulandi auctoritatem habes! rogamus te ut generis nostri, quod tibi cognatum est curam nè deseras: nam te solum nos Christiani apud Dominum pro singulari ad clementiam nobis exhibendam intercedere usurpare solemus. Jam cum *S. Sabba Men. 5. Jan. ode 7. petamus*. Postellum à te gregem ô Despara ubi necessitas fuerit ab ea incolumem serva, patrocinio tuo nulli unquam repulsæ obnoxio, Salvatorem nostrum, ac Deum exoramus. Qui ut *Greg. Nicomed. orat. de ablacione Despara*, habes ut Mater fiduciam in Filium, quæ quidem fiducia ab eo repellere non potest: habes vires insuperabiles, nihil relictæ potentie tuæ, tuam gloriam Creator esse propriam putat, & tanquam Filius in hac tua gloria exultat, & quasi exsolvat debitum, sic implet petitiones tuas. Ideoque orat *Ecclesia Græca Men. 7. April.* Me omnipotenti illo tuo patrocinio promove: nam quilibet potes ut Mater illius, qui omnia potest. *Idem 3. Maij.* Tibi est omnimoda libertas à Filio tuo quilibet poscendi, sine ullo metu repulsæ. In ejus potentiam describit *S. German. de zona cap. 12.* Quis ea quæ corrigi non possunt adeo excusat sicut tu? tu enim cum habeas Maternam apud tuum Filium fiduciam, & potentiam, nos qui sumus condemnati, & non audemus altitudinem cæli intueri, tuis intercessionibus efficis familiares, & das salutem, & ab æterno liberas supplicio. *S. Antonin. 4. p. tit. 15. cap. 17. parag. 4.* sic argumentatur. Oratio Sanctorum non innitur alicui rei ex parte sui, sed tantum misericordie ex parte Dei; oratio autem Virginis innitur gratiæ Dei, & jure naturali, & justitiæ Evangelij, nam Filius debet non tantum audire Matrem, sed & obedire juxta illud Apostoli

Filij obedite parentibus vestris, quod est de jure naturæ. Et paulo post. Oratio Dei-
paræ erat nobilissimus orandi modus, tum quia habebat rationem iussionis, &
imperij, tum quia impossibile erat eam non exaudiri, juxta illud, quod in eius
figura dixit Salomon matri suæ Berlabæ 3. Reg. 2. cum aliquid petere vellet: *Pete
inquit mater mea, neque enim fas est, ut avertam faciem tuam.* S. Bonav. spec. cap. 8.
Quia Dominus potentissimus potentissimè tecum est, ideo & tu es potentissima
secum, potentissima es per ipsum, potentissima apud ipsum, ita ut dicere possis
illud Eccles. 2. 4. *In Jerusalem potestas mea:* nam in Jerusalem id est in Ecclesia trium-
phante, & militante potestatem habet Mater potentissima Creatoris. Oret per
impossibile aliquid à Deo totum cœlum, cum omnibus Sanctis, & Angelis, oret
eius contrarium Virgo, nullus valor erit totius cœli precum, respectu Virginea-
rum. *In Jerusalem potestas mea.* Ut Ernestus Pragen. de encom. Deip. cap. 8. In stella
polari, in quantum est cardo cœli, vel polus arcticus notatur immensitas potestatis
Mariæ: duo quippè cardines cœli; Jesus & Maria.

Idiota p. 4. contempl. 18. Omnipotens Virgo quæcunque volueris facere illa
facis, consilium tuum stat, voluntas tua impletur, Tu es quæ vitæ & mortis habes
potestatem, & deducis ad portas mortis, & reducis: omnia potes ex dono Filij tui,
à quo omnipotente omnipotens effecta es, quia non est potestas nisi à Deo, unde
potes dicere: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Sic & S. German. eam
invocat. Certè Domina Dei Parens, certè meum Refugium, Vita, & Defensio
mea, Arma & Gloriatio, Spes & Robur meum, concede mihi, ut ego quoque fruar
inestimabilibus tuis bonis in-cœlesti patria: habes enim scio cum tua volun-
tate concurrentem potentiam, ut quæ sis Mater Altissimi, & propterea audeo: nè
ergo priver meâ expectatione ò Domina intemerata, quæ univerforum expecta-
tionem supra rationem peperisti. Ruibrœchius lib. de 7. amoris gradibus. c. 8. Omnis
gratia, ac pietatis seu misericordiæ Mater est, & Advocata, & Mediatrix nostra,
media intercedens inter nos, & Filium suum, qui nihil ei petenti negare potest:
cum sit ipsius Mater, sedeatque ad ejus dexteram Regina cum ipso coronata, &
Domina potens in cœlo, & in terra supra creaturas omnes exaltata, & ipsi proxi-
ma. Quocirca Eccles. Orient. 16. Mart. sic testatur. O Virgo, quæ es maxima, quid-
libet à Deo impetrandi fiducia, & simul expectationis meæ tam certa Coronis, ut
falli non possim. Sed oriri potest quæstio, si ita omnia potest, cur non semper ex-
audit? Respondet S. August. lib. 22. de Civit. cap. 22. in simili. Quamvis sint per San-
cta & Sanctos curarum magna solatia, tamen non semper etiam ipsa beneficia
tribuuntur petentibus, nè propter hoc Religio quæratur, quæ propter aliam ma-
gis vi-

gis vitam ubi mala non erunt omnino ulla querenda est. Et *Chrysoſt.* *hom.*
in epist. ad Coloss. ubi loquitur de virtute nom. *Jeſu*. Si non abegeris morbum, non
hinc est, quod infirmum sit hoc nomen, sed quia morbus utilis est. Quod ipse
confirmat *hom. 8. ad Romanos*. Si multi extiterent qui illo invocato sanati manerent
fuerunt, accusare debent modicam suam fidem, non verò nominis infirmitatem.

II. Quia est Spes omnium.

S. sabbas Men. 3. Jan. ode 3. In te quæ nulli unquam culpæ affinis fuit
spem meam omnem repono: unaque lætus ad te omne ingenium meum, om-
niumque converto. *Idem ibid. 3. Jan. ode 4.* Apud te omnem salutem meam, quæ
me tenet fiducia, vitamque per te dirigendam depono, ô gratiâ plena Mater
Virgo! Et *Damaſc. orat. 1. de dormit. V. M.* Tibi nos hodiernâ die afsidemus ô Do-
mina, Domina, atque iterum dicam Domina, Dei Genitrix Virgo, animas nostras
spem tuam non secus, atque ad firmissimam quandam anchoram alligantes, mentes
animam, corpus, totos denique nos dicentes tibi, atque consecrantes, Etiam *S. Germon. in
briarch. orat. de Deip.* Certè Domina Deiparès, certè meum Refugiû, Vita, & Defensio
Arma & Gloriatio, Spes & Robur meum. *S. Ephrem orat. de B. Virg.* Sub alis tuis cubo
me, & protege me, & miserere mei, non mihi alia fiducia ô Virgo sincera, tu enim
Portus meus ô Virgo inviolata, & præsens Auxiliatrix, denique sub tutela & pro-
tectione tua totus sum. Monet *S. Bernard. super Missus.* Intuemini quanto devo-
tionis affectu eam à nobis voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit
in Maria, ut si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea novissima
redundare, quæ ascendit delicijs affluens. Rurſus *Ephrem orat. ad S. Virg.* Dei Sponsa
Domina nostra, unica Spes deſperatorum, oppreſſorum Subſidium, & ad te cu-
rentium Auxilium præſentiſſimum, omnium denique Christianorum Perſugium.
S. Thom. Villanova conc. 3. de B. V. Nativit. Sicut pulli volitantibus deſuper miltibus
gallinæ alas accurrunt, ita & nos sub velamento alarum tuarum abscondimus,
nescimus aliud Refugium niſi te, tu ſola es unica Spes noſtra in qua confidimus,
tu ſola Patrona noſtra, ad quam omnes aſpicimus. Cùm *Apoc. 12.* ait *S. Iſidorus*
ſignum magnum apparuiſſe in cœlo, mulierem ſcilicet amiſtam ſole, videtur
mihi alluſiſſe ad daodecim ſigna Zodiaci: DEus enim videtur olim ſignum Leo-
nis incoluiſſe *Oſeæ 13.* *Ero ei ſicut leona,* nunc Virginem Sol iuſtiæ ingreſſus, cum
ſe ipſo amicit, & in ea homo factus. *2. Cor. 1. Deus miſericordiarum eſt: totius conſo-
lationis vocatur.* *Greg. Nicomed.* Per te nos regnum cœlorum ſperamus aſſecuti-
ros, te noſtræ ſalutis Adjutricem, te auxiliij noſtri Patronam habemus, te propoſi-
mus.